



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Joannis Maurittii Gudeni Historia Erfurtensis Ab Vrbe Condita Ad Reductam

Gudenus, Johann Moritz von

Erfurti, 1675

XVII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11903**



quoniam eum res maximè concernebat, suam quoque sententiam dixit: actum fore de privilegiis, & immunitatibus, si diro supplicio munimenta Urbis scedarent, moriturum se, ubi alii fontes justitiæ debitum persolvunt. Non obscurum fuit, eum in spem liberationis Saxonicae hæc suadere, quam ideò certius expectabat, quia Juniori Duci Joanni, nomine Civitatis in baptismo adstitisset. Movit tamen consilium, & ad patibulum extrà Urbem ductus; at præmissi exploratores, qui, num Saxones in insidiis adessent, indagarent. Simul octingenti armati cum duobus tormentis bellicis majoribus, & sexaginta curribus, quibus in munimentum se cingere possent, comitantur. Ventum ad patibulum, ubi tyro satelles, imperitus artis, miserè Kelnerum torquet, ac postquam ter vivus adhuc de furca decidisset, quartò attractus, tandem fauces interclusæ sunt. Intercesserat antea Thunius pro Kelnero, sed accelerarunt iudicium inimici preces.

Frequentiora post hæc † hostilia, ut  
conducere militem, & suas arces præsi-  
dio munire Civitas cogere-  
tur. Ipsi etiam opifices, eorumque famuli numquam sine  
armis. At sine turbis multitudo non ar-  
matur; in parochia S. Michaëlis dedica-  
tio templi festivius, utque solet, poti-  
tando celebrabatur. (a) Obvii sibi stu-  
diosi

N 4

(a) Anon. Chron. Erf. MS.

XVII.

Frequentio-  
ra hostilia



*Ingens tur-  
multus inter  
studiosos &  
cives.*

studiosi, & milites, & opifices, omnes te-  
mulenti, primò verbis, mox armis pro-  
pè Collegium majus contendunt. Auctæ  
accursu utræque partes, sed studiosi ad-  
versarios ad latam usque plateam reprimunt.  
Ibi fugientibus cives subveniunt,  
& redintegratur certamen: cæsim, punctim,  
jactuque lapidum strages datæ, jam  
milleni pugnabant: crescente per horas pe-  
riculo cives ad arma vocantur. Victi numero  
studiosi ad Collegium majus refugiunt,  
ibi portis obferatis fenestras occupant,  
atque lapidibus, sclopetis etiam, aditu  
hostes prohibent. Irritati vulneribus  
cives, duo tormenta curulia, & quæ  
ad Curiam steterant, advehunt, alterum  
ad domum emporeticam, alterum ad dex-  
teram fani S. Michaëlis in aquâ figunt,  
inque ipsum Collegium explodunt: terri-  
ti his studiosi, qua quisque poterat, potissimi  
per alluentem Geram fugere. Hactenus  
excusari potuit ira, dum in pugnantibus  
sæviit, at jam fugatis defensoribus ipsum  
palladis sacrarium profanatur, & dissecta  
pulpita, contractæ Sedes, etiam Bibliotheca  
diripitur, lacerantur documenta, & obvia  
quævis in spoliis furentibus cedunt. Die  
postero Academia & graviter coram Senatu  
super violentiâ & spoliis conquesta est, Non se  
studiosos, si quæ in fortè pugnae causam  
dederint, excusare; dispelli eos, etiam  
delumbari potuisse, verum quod convocati  
sint ad arma cives, expugnatum istis machinis  
Collegium, quæ

*Cives tor-  
mentis belli-  
cis collegium  
majus oppu-  
gnant.*

*Collegiū spo-  
liatur.*

*Academicū  
Senatū ad  
civiciū Quæ-  
relæ.*

11018



non nisi in apertos hostes ducuntur, quod direpta Bibliotheca, lacerata documenta, sursum omnia deorsumq; versa, confracta, rupta, id certe Sacrilegium esse nullo ævo expiabile. Tot privilegia & immunitates Pontificias, Cæsareas, Regias, omnes uno scelere cum documentis, ac sigillis ademptas: ferre se injuriam nec posse, nec debere, læsam securitatem publicam, quam majores inviolabilem promiserint, proinde alio migraturam, ubi in Sacerdotium musarum insurgere nefas habeatur. Senatus † modestissimo Responso Universitatis Legatos dinatus se ex-misit: Non mandato suo, sed ingenti clamore cives ad arma vocatos: direptionem Collegii se scelus fateri, atq; in reos severiter animadversurum: libros, documenta, suppellectilem, & quidquid inde sublatum, ut restituatur, voce præconis sub gravissimis pœnis mandaturum. Fecit, quæ promisit Senatus, at pauca restituta, unus raptorum, quod studioso nodulos argenteos de thora-ce præscidisset, virgis cæsus est.

Cæsar † cum per Legatos sopire litem non posset, Moguntino, Saxonibus, Civitati, Augustæ Vindelicorum diem indicit: Comparerent ibi per mandatarios sufficienter instructos, ac sententiam Cæsaris expectarent. Mittunt suos Erfurtenses pacem rogaturi. Cedente adhuc die Dux Georgius † militem colligit: fama erat eum Eichsfeldiacos oppressurum, ideò per latebras hinc inde, & nemora defensores disponebantur, ne quâ hostis aditus perumperet. Mittunt etiam exploratores Erfordiam versus, qui famæ cer-

XVIII.

Cæsar diem  
Augustæ  
Vindelico-  
rum indicit.Dux Geor-  
gins Eichs-  
feldia immē  
net.